

(ex Callimacho)

v.1       Ite foras, agedum, quaecumque liquentibus undis  
2            membra lavaturae Pallados, ite foras.  
3       Ipsa venit : fremitus sacrorum audimus equorum ;  
4            ite, agedum, flavae, o ite, Pelasgiades.  
5       Non prius ingentes lavit sibi diva lacertos,  
6            ilia quam abstersit pulvere cornipedum :  
7       nec tum quando armis multa jam caede cruentis  
8            venit ab injustis horrida terrigenis :  
9       tum quoque equum subducta jugis fumantia colla  
10            perfudit largi fontibus Oceani,  
11       dum sudor guttaeque putres dumque omnis abiret  
12            spuma oris circum mansa lupata rigens.  
13       Ite, o Achivae. Sed non unguenta aut alabastros  
14            (audio certe ipso stridulum ab axe sonum),  
15       Palladi lotrices, non unguenta aut alabastros  
16            (nulla etenim divae huic unguina mixta placent)  
17       ferre, nec huic speculum : vultu est pulcherrima semper.  
18            Nam nec in Ida olim, iudice sub Phrygio,  
19       se vel orichalco magna haec dea vel Simoentis  
20            spectavit quamquam vertice perspicuo ;  
21       nec Juno ; sed sola Venus se splendido in aere  
22            vidit, eandem iterum disposuitque comam :  
23       bis sexaginta spatiis verum incita cursu,  
24            stellae apud Eurotam ceu Lacedaemoniae,  
25       perfricuit tantum pingui se diva liquore  
26            de baccis, arbor quem sua protulerat.  
27       O puerae ! Emicuit rubor illico, matutina  
28            quem rosa quem grano punica mala ferunt.  
29       Ergo marem nunc tantum olei quoque ferre liquorem,  
30            quo se unquit Castor, quo Amphitryoniades :  
31       ferre etiam solido ex auro quo pectine crines  
32            explicit et pinguem caesariem dirimat.  
33       Exi, age, jam, o Pallas : praesto tibi virgineus grex  
34            natae magnorum, charus, Acestoridum.  
35       O Pallas, quin jam clypeus Diomedis et ipse  
36            fertur, ut Argivum mos vetus obtinuit ;  
37       Eumedes docuit, meditans tibi grata, sacerdos :  
38            cum in se composito cerneret interitu  
39       ire malam sortem, fugit quippe ille, tuamque  
40            ad montem Crion sustulit effigiem,  
41       ad montem Crion ; tum abruptis imposuit te  
42            cautibus, hasque vocant nunc quoque Pallatidas.  
43       Exi, age, quae expugnas urbes, cuique aurea cordi  
44            cassis equumque fremor cum sonitu clypeum.

45 Vos hodie, undiferae, ne tinguite : vos hodie, Argos,  
46 fontibus ex ipsis, non fluviis, bibite ;  
47 vos hodie, ancillae, ferte urnas ad Physadean,  
48 aut ad Amymonen progeniem Danai :  
49 namque, auro et multis permixtus floribus undas,  
50 defluet e laetis Inachus ipse jugis,  
51 et purum feret huic laticem. Cave tu ergo, Pelasge,  
52 ne nudam imprudens aspicias dominam :  
53 aspiciet nudam qui Pallada, quae tenet urbem,  
54 ultra jam hoc Argos cernere non poterit.  
55 Jam veneranda exi Pallas ; dum quidpiam ego istis  
56 dicam. Nec meus hic sermo, sed alterius.  
57 Unam olim, o puerae, Thebis dea Pallas amabat  
58 Nympham prae cunctis quas habuit comites,  
59 matrem Tiresiae. Numquamque fuerat scorum :  
60 sed sive ad veterum moenia Thespiadum,  
61 sive Coroneas, seu tenderet illa Haliarton  
62 Boeotum visens vecta jugis populos,  
63 sive Coroneas ubi pulcher odoribus halat  
64 lucus ubi ara ipsi Curalium ad fluvium,  
65 saepe illam curru secum dea vexit eodem ;  
66 nullaque nympharum colloquia aut thyasi  
67 grata fuere satis, nisi praeforet ipsa Chariclo.  
68 Verum et ei multae debitae erant lachrimae,  
69 quamvis chara comes magnae foret usque Minervae.  
70 Nam se olim peplis utraque depositis  
71 dum lavat in lymphis Heliconidos Hippocrenes,  
72 utque die vacuus mons tacet in medio,  
73 dum lavat ergo utraque et mediae sunt tempora lucis,  
74 dumque est in toto plurima monte quies,  
75 Tiresias unus canibus comitantibus ibat  
76 per loca sacra, levi flore genas nitidus ;  
77 immensamque sitim cupiens relevare, petito  
78 fonte, videt quae non cernere fas homini.  
79 Hic irata licet sic illum affata Minerva est :  
80 "Quis te, non ullis jam rediturum oculis,  
81 o Everida, malus haec deus in loca duxit ?"  
82 Sic ait. At pueri lumina nox pepulit ;  
83 astitit, obticuit, dolor illi ut glutine vinxit  
84 genua, sonum tenuit vocis inops animus.  
85 At nympa exclamans : "Quid nato, ait, o dea, factum est ?  
86 Numquid vestra, deae, talis amicitia ?  
87 Lumina mi pueri rapuisti. Pectora, nate,  
88 vidisti, infelix. Pallados iliaque ;  
89 at non et solem cernes iterum. Heu misera ! O mons,  
90 o Helicon rursum non peragrande mihi !  
91 Magna nimis parvis mutas, quae lumina nati  
92 pro cervis paucis dorcadibusque habeas.  
93 Sic puerum ambobus charum complexa lacertis  
94 Mater, flebilium carmen aedonidon  
95 triste gemens iterat." Sed enim miserata Minerva  
96 tunc sociam, verbis talibus alloquitur :  
97 "Dia, inquit, mulier, verte haec quae protulit ira ;  
98 non per me captus luminibus puer est,  
99 nam pueris auferre oculos haud dulce Minervae :  
100 verum Saturni legibus haec rata sunt,  
101 ut quicumque deum aspiciat, nisi jusserit ipse,  
102 mercede ingenti scilicet aspiciat.

103 Dia, igitur, mulier, fieri haec infecta nequit res ;  
104 quippe ita Parcarum fila voluta manu,  
105 editus ut primum puer est. Sed tu accipe contra,  
106 o Everida, quod maneat pretium.  
107 Munera Cadmeis proh quanta adolebit in ignes,  
108 quanta et Aristaeus ! Votaque suscipient  
109 Natus ut impubes Actaeon, unicus illis,  
110 tantum oculis careat. Namque erit et Triviae  
111 concursor : sed non cursus, non aemulus illum  
112 tela arcus jaciens montibus eripiet,  
113 cum divam, licet invitus, se fonte lavantem  
114 viderit ; at fiet, qui modo erat dominus,  
115 esca suis canibus. Sed enim nemora omnia lustrans  
116 dum genetrix nati colliget ossa sui,  
117 tunc te felicem, tunc dixerit esse beatam,  
118 cui mons vel caecum reddiderit puerum.  
119 Parce queri, mea grata comes. Nam plurima contra  
120 huic ego, te propter, praemia contribuam.  
121 Esse dabo egregium vatem, quem protinus omnis  
122 perpetuo celebret nomine posteritas :  
123 cognoscet volucrum quae prospera quaeque volatu  
124 irrita, cujus item triste sit augurium ;  
125 plurima Boeotis oracula, plurima Cadmo  
126 hic canet, et magnis plurima Labdacidis.  
127 Huic ingens baculum dabo, quod vestigia ducat  
128 qua velit ; huic vitae tempora longa dabo.  
129 Mox et honoratus Diti colet infera regna,  
130 inter et extinctos unicus hic sapiet."  
131 Adnuit his Pallas dictis : quodque adnuit illa  
132 perficitur ; soli Juppiter hoc tribuit,  
133 natarum e turba, quae sint patris omnia ferre.  
134 Lotrices, mater nulla deam peperit,  
135 imo Jovis vertex : vertex Jovis omnia nutu  
136 perficit ; et natae prorsus idem licitum est.  
137 En vere nunc Pallas adest. Eia ergo, puellae  
138 queis Argos curae est, ite, deam accipite  
139 cumque bonis verbis et cum prece cumque ululatu.  
140 Salve, o diva, urbem protege et Inachiam :  
141 salve hinc abscedens, iterumque huc flecte jugales ;  
142 ac rebus Danaum sis, precor, auxilio.